

C. B. D.

Ad

ORATIONEM AUSPICA-
TORIAM,

d. 9. Aug. Anno M DC LXX.

H. L. Q. S.

In Illustri Augusteo audiendam,
UTRIUSQUE REIP. PATRES
AC CIVES

*submissè, officiosè, peramanter
invitat*

M. CHRISTIANUS *Weise*
Zittâ-Lufatus, Polit. Eloq. & Poës.
Professor Publicus.

LEUCOPETRÆ,
Literis HILDEBRANDIANIS.

Quod
felix faustumq; esse jubeat
Summus rerum ac Scientiarum
ARBITER:
Augustis prosequatur Auspiciis
SERENISS. NOSTER AUGUSTUS:
non sine aliquo futuræ utilitatis omine
accipiat
ILLUSTRE AUGUSTEUM,
dictus est dies crastini
ORATIONI AUSPICATORIÆ,
quæ
et meam in loco publico initiet
PROFESSIONEM,
nec solùm quid à me imposterum debeat
expectari,
ostendat perfunctoriè;
Sed etiam
PRINCIPI Subjectionem,
Patronis cultum,
Collegis amorem,
Auditoribus dexteritatem
quâ par est, animi contentione polliceatur
sanctissimè.

Com-

Commendabit dicentis tenuitatem
ipsa materia,
neq; prorsus injucundum fuerit audire
de

POLITICES, ELOQVENTIÆ ac POESESOS
Conjunctione differentem.

Quippe quas
et prima in unam personam contulit Fundatio,
nec imprudenter conservavit
Clementissima, quæ nuper contigit, mei
vocatio.

Enimvero quæ multis videntur dissociabiles,
exquisite conjungit harmonia,
nec separari jubentur
nisi ab ignaris,

Adeste igitur,
PATRONI OPTIMI,
REIP, UTRIUSQ. PATRES Gravissimi,
Juvenes Politissimi,
et ne infausta sint meæ sedulitatis initia,
vestrâ præsentia efficit.

Exhibebit se vobis
Genuina ac quasi naturalis Politicæ facies,
non qualem depingit vulgus,
vel potius abscondit sub vanitatis larvâ,

A 2

dum

dum mox requirit
Sermonis, morum, vestium elegantiam dicam,
an novitatem?

mox, quod nimis invaluit,
Atheismum, peccandi licentiam, mille fraudandi
artificia;

278.

mox
febriculosam saltem legum non omnium
historiam:

Sed illa ad Eloquentiæ ac Poëseos castra
se recipiet Politicâ,
quæ Prudentiæ Civilis nomine insignis,
Instituendam, mutandam, conservandam,
ordinare, discernere, dirigere
queat Rempublicam,
adeoque non nisi communem Salutem,
pro scopo & lege agnoscat supremâ.
Procedet porrò in Vestrum Conspectum
ELOQVENTIA,
non quæ vendat fumum,
vel placeat Sophistis,
sed quæ persuadendis hominum animis
incumbat solidè,
possitque sine armis, sine tumultu, sine violentiâ,
omnem solo sermone reportare victoriam.

Si

Sistet etiam se,
nescio an laudanda magis, an contempta hactenus,

POESIS,
ostendetque,
non propterea se descendisse de cælo,
ut post suam tabulam
ignavi lateant verborum venatores,
delicatuli rythmorum architecti,
rerum inscii,
vocabulorum intempestivè curiosi,
chartæ prodigi:

79. { Sed potius à sua proficisci venustate,
quicquid in sermone dulcedinis,
in sono suavitatis, in affectu efficaciam
fuerit unquam;
Se verò esse solam, quæ in quacunq;
disciplinarum austeritate,
gratissimum admovere soleat condimentum.
Neque gratis dicentur talia:
Procedent in medium exempla non vulgaria,
in quibus
an prævaluerit regnandi notitia,
an eminuert dicendi facultas,
an primas tenuerit condendi carminis dexteritas?
meritò possit dubitari.

A 3

Ade-

Adeste igitur,
Sive literis favorem, sive amorem, sive cultum
debetis.

Vos præcipuè
lectissimi Juvenes,
quando vestra vel maximè hic agitur causa,
propriis nolite commodis deesse.

Aperiam omnes meas divitias,
et è qualicunq; ingenii penu
omne id vestris deponam manibus,
quod meum est,
oblaturus imprimis vestris emolumentis
FIDEM,

quæ brevissimam ac facillimam
ubiqve viam ostendat,
nec per salebras, per diverticula, per ambages
fallendi perdendiqve temporis
detestabilem injiciat necessitatem.

Fidei perpetuus comes fuerit
DILIGENTIA,
quæ omnes horas in vestros partiatur profectus,
nec quicquam de universâ vitâ
ad alienos usus vel destinet, vel destinari patiatur,
ac proinde
neqve commodis neqve tædiis qveat frangi,
effi-

efficiatq̄ve,
ut publicæ prælectiones meliores sint privatis,
privatæ vicissim publicis.

O utinam
Diligentiæ comitem polliceri liceat
ERUDITIONEM!

Sanè tanta ea non est, ut multùm mereatur
laudari:

Nullam tamen esse,
vix sine insigni Promotorum dixerim injuriã.
Fortassis quæ nondum apud me excreverunt,
vobiscum vires fument ac incrementa.

Præsertim si vobis placuero
FACILITATE,
et neq̄ve morosò vultu, neq̄ve obscurã lingvã, neq̄
difficili aditu,

vestris desideriis injiciatur remora.

Facite saltem hanc mihi gratiam,

facilem profecto,
ut, quoniam ista omnia vobis sacra esse volui,

à vestrà quoq̄ve parte mihi constet

bona de me Opinio,
non quod adeò cupiam haberi in pretio,

ut fractis modestiæ limitibus,
ipse vel laudari vel æstimari postulem:

Sed

Sed quia vestra aliter vix procedere possunt
Studia.

Tantum enim discetis à me,
quantum in me fitum esse putabitis;
et si pretiosa vobis mea videbitur

Diligentia,
jucundius respondebit vestra.
Utimini me quam commodissime,

Sic

Aspiret DIVINA SALUS,
Arrideat PRINCEPS,
Annuant PATRONI,
Acclament Boni omnes
FELICITER!

